

Dissertatio medica physiologica de cerumine ... / [Johann Christian Grau].

Contributors

Grau, Johann Christian, 1679-
Wedel, Ernst Heinrich, 1671-1709.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Christoph. Krebsii, [1705]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j2a9ytdu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

59
N. 1.
DISSERTATIO MEDICA PHYSIOLOGICA
DE

CERVVMINE;

RECTORE VNIVERSITATIS SALANÆ
MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, &c.

ILLVSTRIS FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV,

P R Æ S I D E

ERNESTO HENRICO
VVEDELIO,

PHIL. ET MED. DOCTORE,
HVIVSQVE PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO,
MEDICO PROVINCIALI SAXO-VINARIENSI,
CIVITATISQVE IENENSIS PHYSICO,

*Patrono, Præceptore ac Hospite suo, plus-
quam filiali obseruantia æternum deuenerando,*
publico Eruditorum Examini proposita

IOHANNE CHRISTIANO Gravi

Römhildens. Franc.

IN AUDITORIO MEDICO,

horis consuetis,

A. D.

Maii, C1810CCV.

JENÆ, LITTERIS CHRISTOPH. KREBSII.

VIRIS

*Magnifico, Excellentissimis, Admodum Reuerendo, Consultissimo
atque Amplissimis,*

DN. GEORGIO WOLFFGANGO
WEDELIO,

Hæreditario in Schwarza/

Medicinæ Doctori per orbem famigeratissimo,

Comiti Palatino Cæsareo splendidissimo,

Consiliario & Archiatro Ducali Saxonico,

ac Theoretices Professori Publico Ordinario Grauisissimo,

ut &

DN. ERNESTO HENRICO
WEDELIO,

Philosophiæ & Medicinæ Doctori celeberrimo,

Huiusque Professori Publ. Extraordinario dignissimo,

Medico Prouinciali Saxo-Vinariensi, Ciuitatisque Ienensis

Physico meritissimo,

nec non

DN. VALENTINO SVTORIO,

Serenissimi Ducis HENRICI Confessionario dignissimo,

Consiliario Ecclesiastico integerrimo,

Superintendenti ac Pastori Römholdensium vigilantissimo,

denique

DN. IOHANNI GEORGIO
EICHLERO,

Præfecturæ Sax. Duc. Coburg. Secretario dexterrimo,

Patrueli Honoratissimo,

DOMINIS, PATRONIS, PROMOTORIBVS, AC FAVORIBVS
PLVSQVAM FILIALI OBSERVANTIA COLENDIS,

DISSERTATIONEM HANC

*In sui de meliori nota commendationem, & ad grati animi significationem,
deuote ac summa submissione offert*

IOHANNES CHRISTIANVS Gray.



PROOEMIUM.



Maxima est naturæ am-
plitudo & inexhausta vastitas, vt nul-
li hominum liceat omnia, quæ ad
eam spectant, specialius perquirere,
& sufficienter cognoscere, quin plu-
ra penitus ignota & abscondita ma-
neant. Nonnulla etiam, quamuis

obuia, tanquam vilia negliguntur, in quibus tamen tam
producendis quam impendendis miranda naturæ virtus
emicat.

Quis in microcosmo solum, ipso scilicet homine,
eiusque corpore omnia patefacta asserat, vt nihil amplius
indagandum restet? Cum in eo etiam occurrant, quæ
non quidem ignota penitus, neque tamen multum æsti-
mata vulgo vilipenduntur, quorum cognitio medico in-
primis tum utilis tum necessaria existit.

Huius rei exemplum suggerit CERVMEN in auri-
bus reperiundum, cuius a plerisque nulla prorsus fieri
solet mentio. Operæ pretium itaque nos facturos arbi-
tramur, si eius naturam & vsum pro ingenii tenuitate &
viribus explanauerimus, ad quod feliciter exequendum
Diuini Numinis gratiam & auxilium deuotis precibus ex-
oramus.



Erumen, aliquibus cerimen dictum, recentius, aſt medicis uſitatum, vocabulum, unde nominis ratione deriuetur, uidetur nobis a ſimilitudine ſubſtantia, vel coloris potius, quem cum cera flaua communem habet, ita appellari, ut dicatur quaſi ceroſus, vel cereus humor. Ordinarie enim inſtar ceræ flauoſcit, ſpiſſamque habet conſiſtentiam, licet aliquando, ut in cera quoque, color magis minusue flauus, imo albicans interdum appareat.

§. 2. Æmulatur cerumen unguentum in officiis citrinum appellatum, imo pinguedinem, adipem vel axungiam flauoſcentem refert, ut non immerito Germanis Ohrenſchmalz appelletur. Nec inepte quoad conſiſtentiam cum zibetho comparari poteſt.

§. 3. A plerisque, veteribus cumprimis, ut *Plinio*, ipſoque adeo *Cicerone* ſordium aurium nomine venit cerumen. Hic enim *libr. II. de Nat. Deor. cap. 37. p. 165.* dicit: prouiſum eſt etiam, ut ſi quæ minima beſtiola conaretur irrumperere, in ſordibus aurium tanquam in viſco adhæreſceret. Attamen ſordes aurium alia quoque, ab hoc humore cereo diuerſæ habentur, quæ non tam in meatu auditorio, quam plicis illis & gyris auricularum, & poſt aures quandoque colliguntur.

§. 4. Græcis etiam dicitur *κυψελίς*, & *κυψέλη*, quo ultimo vocabulo alueare apum e vimine aut ſtramine plexum proprie notatur, nec non interius auris foramen, & tandem ſordes, quæ in eo colliguntur. Et hocce ſignificatu reperitur apud *Alexandr. Aphrodiſ. libr. II. Problem. p. m. 321.* Prius autem nomen *κυψελίς* alueum, ut & ciſtulam ſignificat, & hinc itidem ad ſordes aurium notandas transfertur. Appellatur quoque ipſis, *Hippocrati* inprimis & *Galeno*, aliisque, *ὠτὸν ῥύπον*, ut plura Synonyma taceamus.

§. 5. Definitur autem cerumen, quod sit humor excrementitius, salino-sulphureus, spissus, lentus, tenax, amarus, flauescens, biliosus, vaporis specie e glandulis cartilagineum aurium in meatu auditorio exsculptis per poros sensim exudans, condensatus & collectus, ad sensus ἐνέργειαν.

§. 6. Inter humores refertur cerumen, quoniam non tantum originem habet ex humoribus, verum etiam quod ordinarie quandam humiditatem actu offerat, qua digitis aliisque instrumentis & corporibus solidis, nec non ipsis parietibus meatus auditorii adhæret. Nec obstat, quod minus ille humor diffuset, liquidiorque se exhibeat, cum magis & minus neque hoc casu speciem variare possint, amissa scilicet per accidentalem exiccationem propter moram suam, qua primitus gaudebat fluxilitate.

§. 7. Pertinet vero cerumen ad humores excrementitios, quia neque totum, neque aliquam partem corporis nutrire potest, sed potius e sero & sanguine, ceu humoribus alimentariis & secernitur & excernitur. Illud solum inquirendum restat, utrum ad humores excrementitios utiles, an ad inutiles potius referendum sit aurium istud excrementum.

§. 8. Inutilibus excrementitiis adscribendum videri poterat, quia istius usus non ita corpori humano est necessarius, quin citra magnum sanitatis dispendium aliquando plane deesse possit: Attamen inter utiles potius referendum illud esse statuimus, quod usu aliquo tum in ipsa aure, tum alibi non omnino careat, ut infra explicabitur.

§. 9. Reliqua prædicata differentiam ceruminis ab aliis humoribus excrementitiis suggerunt, quæ coniunctim spectata id imprimis faciunt; quamvis enim & sputum, & mucus narium, ut de aliis iam nihil dicamus, aliquando spissitudinem, lentorem & tenacitatem habeant; rarius tamen paulo vel nunquam simul cum his amaritiem & flauescentiam, coniunctam ostendunt: uti præterea loco secretionis maxime differre eadem est in propatulo.

§. 10. Scaturigo generalis ceruminis est superficies parietum canalis, quem meatum auditorium appellant, cuius ope sonori radii ab externa aure collecti ad interiora auditoria deducuntur. Quemadmodum autem ille meatus est cartilagineus, exterius cutis & cuticulæ integumento vestitus, ita in specie papillulæ cartilaginum & pori cutis extus hiantes, & pilis tenuibus stipati aurium illud excrementum emittunt.

§. 11. Vnde autem tanquam e fonte cerumen proveniat, asserimus, eundem etiam huncce humorem excrementitium proferre, qui communis est aliis producendis; adæquate scilicet ipsa massa sanguinea, quæ ex sanguine & sero componitur, quemadmodum proximum fontem lymphæ constituit.

§. 12. Terminus a quo non est venter infimus, nisi remotissime. Etsi enim in eo prima fit coctio, quæ reliquarum coctionum omnium, indeque provenientium excrementorum quasi basis & fundamentum existit: eo ipso tamen facile patet, quod, cum cerumen ad primæ coctionis recrementa non pertineat, ex infimo ventre, ventriculo & intestinis istud ad aures amandari merito sit negandum; intercedente quippe secunda demum coctione illud producitur. Nec etiam reliqua inferioris ventris viscera sanguinis depuratoria istud huc protrudunt, officio saltim suo, cui destinantur potius, quam remotissimorum locorum excrementis elaborandis inservientia.

§. 13. Quod cerebrum attinet, remote & secundario saltem cerumini producendo confert, non quod a cerebro peculiare viz, vel ductus ad auditorium meatum abeant, & cerumen sic seponant, cuiusmodi adhuc sunt incogniti, sed quoniam ad spiritus animales e vitalibus cohobandos sanguis defecator requiritur, qui tum aliis in locis, tum hic etiam a recrementis suis purgatur.

§. 14. Ab aure interna quoque provenire cerumen ex eo affirmari posse videtur, quod meatus auditorius ad aurem

rem internam ab aliquibus referatur, cum non pertineat ad auriculam, sed quasi medium sit inter hanc & cavitates internas. Ne itaque in hisce humidum vinctuosum cum sanguine allatum tam sonorum reflexionem & multiplicationem, quam fibrillarum membranz neruez expansæ motum impediat, in ista quasi anticamera illud secernendum erat, cum ibi commodiorem locum, nec non vsum aliquem, vt inferius suo loco recensebimus, inueniat.

§. 15. Ea autem nostra non est sententia, quod ex cavitatibus interioribus post tympani membranam in osse petroso reconditis cerumen in meatum auditorium protrudatur, neque etiam statuimus, istud pro recremento tantum tertiz coctionis, quæ nutritionis causa vt in singulis partibus, ita & in auribus fieri creditur, tanquam priuatum harum excrementum habendum esse. Sed quod tota massa sanguinea, e cuius vndis secernitur, illud huc mittat & seponat.

§. 16. Cartilagines, quibus meatus auditorius componitur, proximiores videntur constituere ceruminis terminum, a quo procedit, licet hæ non in se spectatz ad hoc aptæ satis indicari queant, sed potius glandulæ ipsis insculptæ & præsentæ, quarum ope fit e massa sanguinea & huius humoris excrementitii sequestratio.

§. 17. Quemadmodum vero cerumen non ex ipsa cavitate auris internæ procedere paulo ante fuit monitum; ita etiam vicissim constat, hanc non præbere terminum ad quem; neque enim in cavitates aurium interiores excrementum istud cerosum peruenire potest. Extra tympanum quippe deponitur in tuba vel tubo auditorio, siue meatus auditorii interiore parte, quæ quasi anticamera existit auris internæ. Ad hunc itaque locum e massa sanguinea glandularum auxilio separatum per poros cutis instar sudoris cuiusdam prorumpit, & successiue colligitur.

§. 18. Vix, per quas ad locum iam laudatum pertingit cerumen, non possunt constitui venæ aut arteriæ quædam

pecu-

peculiares, quippe cum omnes potius sanguini vehendo sint dicatæ. Nisi quis communes istas vias intelligat, quæ in & cum sanguine ceruminis materiam ad hunc locum, omnino deferunt. Neque tamen ex arteriis immediate istud excrementum aurium ad locum suum protruditur.

§. 19. Minime quoque per nervos cerumen fertur, quippe quorum usus magis est, substantiam quandam spirituosam subtilissimam instar ætheris ad partes adferre, quæ sensu aut motu voluntario gaudere debent. Atqui cerumen talis non est materia subtilissima, quæ per exilissimos nervorum poros transire possit. Ergo nec viam hi ipsi præbebunt. Vti etiam neutiquam veritati consonum putamus, quod aliqui statuunt, excrementum istud per foramen, quo nervus aurem internam subit, procedere.

§. 20. Non denique tympanum rarefactum solum, seu membrana tympani hocce meatui auditorio subministrat, sed proxime illud suggerunt pori insensiles cutis conclusæ meatum illum cartilagineum inuestientis. Hæc enim e papillis glandulosis contexta esse videtur, sub quibus etiam hic sanguis per arterias carotides adductus, & in venulas iterum recipiendus undulat.

§. 21. Poros istos pro peculiaribus ductibus excretoriis agnoscit celeberrimus Vniuersitatis Altdorffinæ Professor D. Iob. Mauricius Hoffmannus in *Idea Machine humane Anatomico-Physiologica Sect. XXV. pag. 231.* nec non Verheyen *Anatom. Tract. IV. c. 15. de auribus, p. m. 200.* inquit: Meatum auditorium intus inuestit quædam pellis a cute procedens, cuius per superficiem conuexam sparguntur plurimæ glandulæ, e quibus singulis singuli in illius cavitatem protenduntur ductus excretorii materiam illam flauam & amaram, quam *cerumen* appellant, in eandem cavitatem expuentes.

§. 22. Ad materiam ceruminis explicandam commode huc referri potest, quod Hippocrates *libr. VI. Epid. Sect. V. t. 25.* dicit: τὸ χολώδες ἀπὸ πίου, hoc est, biliosum & pingui. Hoc ipsum

ipsum enim optime explicare videtur materiam huius aurium excrementi, quippe quod biliosum est ex pingui, imo & pingue & biliosum deprehenditur. Biliosum quidem est cerumen a posteriori, pingue vero magis a priori.

§ 23. Biliosum esse cerumen, & color & sapor euincunt. Habet enim cerumen colorem flauum, instar bilis, vel croceum, quandoque tamen albidiorum paulo, aut pallidum magis. Ex flauescence autem colore in hoc subiecto non solum biliosum, sed & pingue sulphureum illud esse colligi potest, quum liquores sulphurei pingues v. gr. pinguedines vel olea, quæ dum recentia sunt, limpida & absque colore apparent, vetustiora reddita viscedinem atque flauedinem quandam contrahant, quemadmodum quædam ab initio flauescencia visa successu temporis omnem istum colorem deponunt, & alba limpidaque penitus euadunt; quæ coloris diuersitas & mutatio in huiusmodi sulphureis, imprimis salibus particulas sulphureas colorificas vel expandentibus, vel deprimentibus adscribenda videtur, vt hinc diuersis poris redditis diuersa lucis illabentis fiat reflexio.

§. 24. Sicut etiam bilis est amara acriuscula, ita idem ferme sapor in cerumine occurrit, nisi quod propter pingues magis admixtas particulas, & consistentiam spissiore non ita prompte, vt bilis poris linguæ sese insinuare, & tanta cum *ἐνέργεια* saporem amarum papillis eiusdem nerueis communicare possit.

§. 25. Quemadmodum e chemicorum sententia sapor dulcis prouenit a particulis sulphureis temperatis, obuoluentibus spicula acuminata salina acida, vt demulcens, blandus motus papillarum neruearum linguæ inde fiat; ambustis autem per calorem accedentem particulis sulphureis etiam, dulcissima quæque amaritiem quandam contrahunt, exemplo mellis, mannæ, sacchari, aliorumque: ita etiam simili ratione in corpore humano non tantum bilis generari, sed & biliosa amaricantia quæuis, & hinc ipsa cerumina fieri videntur.

§. 26. Testatur id ipsum *Iob Argenter. comm. II. in Art. med. Gal. p. 338.* ita inquit: Ex affatione res amaras fieri, & tandem falsas docet mellis coctio, & bilis generatio, cui cum simillimum, sit hoc excrementum, nequaquam dissimilem habebit generationem. (Licet terream alimenti portionem ita hic affari statuatur.) Affatio vero illa nec in cerebro, nec in auribus fit, sed in sanguine; neque obstat, quod in aliis partibus sordes amaræ aut falsæ secundum naturam separari minus obseruentur.

§. 27. Sanguis, humor maxime sulphureus, præter salinas plurimis pinguibus, adeoque & dulcibus gaudet particulis, quæ propter continuatum calorem, etiam si mitiorem, motumque intrinsecum perpetuum non possunt non ex parte quasi amburi, vel alterari ut amarescant, nec non flauescant, præsertim conuenienti loco separatæ, ut vno verbo e pingui biliosum fiat. Huiusmodi autem cerumen quoque existit, ut de eo *Willisius libr. de Anima brutor. cap. 15. pag. m. 108.* recte dicat: Hæc flaua amurca eiusdem procul dubio indolis est, ac ea, quæ in vesicam felleam destinatur.

§. 28. Vehiculum harum particularum sanguinis sulphurearum lymphæ constituit, quæ ipsa propterea vinctuosa dicitur. Vbicunque igitur vinctuositas huius non impenditur, exuperans in primis, ibi a natura seponitur, & quidem dum adhuc blanda & temperata existit, abit in pinguedinem amisso motu, circa intestina, & alia loca passim condensata, ambustæ vero particulæ pingues aliis in locis secretoriis separantur, ut in hepate, renibus, nec non sub axillis, partibusque aliis vligiosis, per poros cutis cum humido isto vehiculo dilutæ & excretæ.

§. 29. Hæc ita se habere flauescens color, & alia phenomena in eiusmodi excrementis obuia testantur, ut enim de vrina nihil iam dicamus, cuius color omnino bili adscribendus, ut alibi a nobis demonstratum est, vel ipse sudor sub axillis conclusus coloratur quoque, & a reliquo differre videtur,

detur, amarus & ipse existens, qui etiam lymphæ euaporata spissatur, vt densatus coloratus, odoratus, vinctuosus remaneat.

§. 30. Visitur id in indusiis ex albiſſimo linteo confectis, quæ si diutius gestentur, iis in locis præsertim, vbi copiosior e corpore sudor emanare solet, ab eodem flauescere bilioso colore tinguntur, & tactui quoque quandam vinctuositatem offerunt. Exhalante quippe diluente humido pingue quiddam remanet. Eodem ergo ferme modo sese res habet cum cerumine.

§. 31. Sulphureas plurimas constituere cerumen particulas ex hæcenus dictis clarum est. Sed nec salinæ partes ipsi erunt denegandæ, cum sapidum existat, sapore amaricante bilioso præditum; omnis vero sapor chemicis rectissime a salibus provenire statuitur. Quales autem istæ sint particulae salinæ si inquiratur, respondemus, eas esse partim alcalicas volatiles urinosas, partim fixas, acidasque. Quamvis enim propter paucitatem, qua colligitur istud excrementum cerosum, minus liceat destillationem eiusdem aut alia experimenta instituere, vt per chemicam analysin istius elementa & principia reliqua distinctius pateant: quoniam tamen in aliis excrementis humani corporis eadem inesse salia deprehendimus, ipsaque lymphæ & sanguis, e cuius undis illud secernitur, eiusmodi abundant, idcirco probabile videtur, nec cerumen iisdem destitui.

§. 32. Dum volatiles inesse particulas monuimus, eo ipso etiam mercuriales intelligimus. Est quidem cerumen, ordinarie minus odorabile sibi relictum, igni vero admotum vt amburatur, foetentem quendam odorem spirat, qui ab empyreumate particularum sulphurearum, vna cum mercurialibus exhalantium provenit.

§. 33. Adsunt etiam in cerumine partes terreæ basin & corporaturam reliquis præbentes, nec non aquæ non paucæ, quæ scilicet primitus vehiculum reliquis constituebant, de-

inceps autem sub sulphurearum tutamine ab ulteriori evaporatione fuerunt prohibita, id quod e sequentibus facile potest colligi. Adsunt enim hic etiam lymphæ colatoria, glandulæ scilicet, quarum ope hæ partes excrementitiæ e massa sanguinea separantur, per poros cutis, vel ductus excretorios in meatum auditorium cum isto vehiculo transpirantes, quo maximam partem exhalante illæ postea successe spissam acquirunt consistentiam.

§. 34. Quid? quod etiam aures lymphæ vitia solent luere, ut in lue venerea, febribus ardentibus aliisque similibus casibus, in quibus haud raro materia vitiosa morbifica ad hæce glandulas detruditur, ibi *serum* facit, & varia symptomata producit, ut varos & vlcuscula alia circa glandulas hæce enata taceamus. Hinc in aliquibus solenne quasi est, ut ichor certo tempore copiosus ex auribus profluat, in aliis exulceratio fit, & pus per hancce viam emanat. Ergo omnino non dubitandum est, quod aqueæ particulæ ad cerumen constituendum concurrant & requirantur. Id quod etiam furfures exigui coniuncti testantur, qui lympa penitus exiccata, a reliquis concreascentibus videntur habere originem.

§. 35. Ita in infantibus, adnotante celeberrimo *Pechlino* libr. II. obseru. XLVI. p. 322. cerebri purgamenta etiam in aures cum prima ætate recidere solent, ut fonticulus sit quasi naturalis, in quem serum confluit, caput a periculosis epilepsiæ & catarrhorum affectibus liberans. Idem quoque monet, quod copiosius in quibusdam affluens cerumen vitiatæ a frigore texturæ indicium sit. Notum enim est, quod frigus poros obstruens transpirationem inhibendo serum fundat, ut ad glandulas alias excretorias copiosius irruat & fecernatur, unde coryza & catarrhi proueniunt; nihil itaque impedit, quo minus aliquando in dispositis præsertim ad glandulas meatum auditoriorum ob eandem causam feratur.

§. 36. De aliquibus autem solum, minus de omnibus infantibus illud, quod paulo ante dictum est, intelligendum esse, quoti-

quotidiana docet experientia neque obstat, quod diata humidiores gaudeant. Habent quippe & infantes, ut ossicula auditus perfecta & solidiora, reliquis ossibus adhuc mollioribus, & quasi cartilagineis existentibus, ita quoque cerumen spissum, velut adulatorum esse solet, quod in auribus eorum colligitur, exceptis iis, quorum aures ichore seroso profluente madere magis consueuerunt.

§. 37. Quod Hippocrates IV. aph. 41. de sudore multo docet, quod indicium sit copiosioris alimenti assumpti, dum inquit: ἰδρὼς πολὺς ἐξ ὑπὲρ ἀνευ φανερῆς αἰτίας γινόμενον, τὸ σῶμα σημαίνει, ὅτι πλείονι τροφῇ χρεέται. hoc est, sudor multus per somnium citra causam manifestam factus copiosius cibo corpus uti significat: hoc ipsum commodè etiam ad ceruminis prouentum applicari posse arbitramur. Quemadmodum enim hoc etiam instar sudoris cuiusdam condensati & inspissati se habere iam fuit monitum, ita gulones, & qui plus lautiusque comedunt atque bibunt, plus ceruminis exhibere videntur. Copiosius enim alimentum assumptum non potest non etiam copiosiora excrementa gignere, locis conuenientibus e corpore iterum eliminanda. Propterea Helmontius Custod. errant. §. 23. pag. m. 249. dicit: Amarum quod aures sudant, exiguum est beneuolenti, estque exhalatum vltima digestionum periodo. Beneuolentes autem sunt, qui corpus nimio cibo, non obruunt, uti ab excrementis plurimum cumulatis facile sanitati detrimentum importatur.

§. 38. Odorem quod attinet ceruminis natium, seu naturalem, vix perceptibilem & ferme nullum esse supra inuimus, ubi diximus, quod istud excrementum sibi relictum minus sit odorabile. Quodsi autem a statu naturali recedat, omnino aliquem exhibere solet, eumque non vnusmodi odorem, prout particularum salino-sulphureo-mercurialium diuersa accidit inter se inuicem dispositio & modificatio.

§. 39. Ita supra laudatus Celeberrimus Pecclinus l. c. Cerumina castorium referre cum substantiæ modo, tum odore

obseruauit. pag. 322. Ita in scorbuticis inprimis, vbi putrilago lymphæ adest, putidus odor, siue fœtor etiam huius aurium excrementi potest accidere. ἀπαν γδ σηπόμενον κακῶδες, quicquid enim putrescit, in animali saltem genere, male olet: Vti & sudor ipse tum totius corporis, tum inprimis pedum in aliquibus fœtidissimus occurrit, & molestiam haud raro creat adstantibus. Exemplum aurium fœtoris menstrui refertur *Ephemer. German. Dec. II. Ann. VII. Append. pag. 157.*

§. 40. Etsi naturaliter cerumen amaricantem saporē exhibere solet; obseruauit tamen *Hippocrates*, aliquando illud præter naturam dulcescere, quod pro malo habet omine. *Libr. VI. enim Epidem. Sect. V. t. 35. inquit: Ἀνθρώποις ὁ ἐν τοῖσιν ὠσὶ ῥύπῃ, ὁ μὲν γλυκὺς, θανάσιμος, ὁ δὲ πικρὸς, ὄ. Hominibus sordes in auribus, dulcis quidem letalis, amara vero non.* Hoc Hippocratis testimonium licet ob defectum experientiorum, non ita facile propter nauseam instituendorum, certa experientia minus comprobatum videatur; Etenim fortassis, inquit *Galenus*, quispiam ægrotus ipse auris sordem degustare sustinuerit, medico autem id præcipere turpe atque nefarium fuerit. *comm. V. in libr. VI. Epidem. Hippocr. n. 19. pag. m. 377.* Fidem tamen Hippocrati in eo propterea non statim dene-gandam esse asserimus, cum ipsemet experientiam, procul dubio seruis ad eam explorationem adhibitis, habuerit.

§. 41. Exemplum quoque iam laudatæ *Ephemer. Germ. Dec. II. Ann. III. Obs. 91. pag. 192. seq.* offerunt, in phthifico quodam iuvene adnotatum, qui pridie ante mortem digito in aurem sinistram immisso sordes exemptas, gustauerat, & non obscuram dulcedinem in iis perceperat, altero die mortuus.

§. 42. Nec ratio deficit, qua saporis mutatio in cerumine, & inde desumendum instantis mortis præfagium explicari potest. Nam recessus maior a statu naturali, & archæi siue spirituum inducta debilitas sic significatur, vt excrementa biliosa non amplius possint ad loca conuenientia protrudere, non secus ac in febribus acutis vrinx limpidæ albicantes

cantes pessimi sunt indicii, vnde fatifcente natura & succumbente æger ipse moritur. Idem nobiscum sentit *Ludou. Duret. Comm. in Coac. Hippocr. p. 570.* inquires: Mortiferæ vero ducuntur fordes aurium, quæ dulce sapiunt, vt alienæ a conditione naturæ, per quam amarescunt. Clarum autem, *l. c.* ait *Galenus*, non alio tempore aurium sordem fieri dulcem posse, quam quo cerebrum ægrotat. Naturaliter enim amara videtur: atque ideo ipsam dulcem liquefcente cerebro fieri dicunt. Elegans quoque in *Cassii problematibus* hac de re locus occurrit *n. 32. pag. m. 343.* ita se habens: *Διὰ τὴν αἵ κν-ψέλαι φύσαι πικρά, γλυκεῖαι γίνονται ὅππῃ τῶν ἀπολλυμένων; οἱ δὲ κινύουσι πολλὴν τὴν ὅππῃ τὸ ἐναντίον ἐκ τῆς κατὰ φύσιν μεταβολῆς, μάλιστα τὸ κηρὶς τὸ γλυκεῖον, καὶ τὸ πικρὸν ἀκριβοῦς ὑπάρχει.* Quare cerumina natura amara, dulcia fiunt in morientibus? Quoniam magnam in contrarium e statu naturali mutationem indicant, maxime fauo dulci, & amaro exquisito existente.

§. 43. Consistentia ceruminis media est inter ficcam & humidam, siue solidam & liquidam; spissum enim naturaliter illud existere deprehenditur, vt e superioribus dictis patuit. Haud raro tamen ab hacce natura media recedit ad alterutrum extremum vergens, ita vt vel liquidius vel solidius iusto existat.

§. 44. Liquidiozem consistentiam cerumini conciliat affluxus & effluxus humidi aquei serofi, vel ichorosi, vt de pure & sanguine per aures aliquando extillantibus hic nullam mentionem faciamus. Diluuntur quippe particule ceruminis spissiores eiusmodi liquidis per istius loca prodeuntibus, vel potius non inspissantur liquidæ, copiosiore humido haud ita facile diffundendo, antequam foras istud excrementum profluat, vt plurimum acredine maiori simul coniuncta.

§. 45. E contrario solidius interdum atque durius euadit cerumen, humido vehiculo nimis euocato seu euaporato, quo casu membranæ tympani aliquando instar cutis indu-

ratæ

ratz istud opponitur, vt sensus auditus penitus ab eo impe-
diatur. Hunc in finem *Pecklinus l. c. pag. 323.* refert: in Hol-
landia hominem paganum plurimas & conclamatas surdita-
tes a ceruminum inexpugnabili duritie natas clystere auricu-
lario, ex herbis balsamicis emollientibusque conflato, feliciter
& insolito exemplo curasse. Sed & *Galenus iam libr. de Compos.
med. sec. loc. lib. III. cap. 1.* clysteris auricularis mentionem
facit, cuius verba quoque citat *Alexander Trallianus lib. III. cap. 2.
pag. m. 175.*

§. 46. Hoc modo emolliri, & expurgari sic cerumen
posse experimenta quædam confirmant, quibus constat, cum
liquoribus aliquibus magis, cum aliis minus dissolui & misceri
posse aurium istud excrementum, vt vna pateat, non absolute
pinguem quandam illud existere substantiam. Primo enim
igne leni adhibito mollius quidem redditur, at non penitus
liquatur instar ceræ vel pinguedinis, sed a fortiori tandem
cum strepitu amburitur. Secundo cum menstruis sulphureis
prius illud idem accidit, v. gr. cum oleo amygdalorum emol-
litur paulo, non autem plenarie dissoluitur; cum oleo *Œto*
anisi adhuc magis molle euadit & partes discontinuantur, vt
& cum spiritu vini rectificato, & spiritu salis ammoniaci vi-
noso, in quibus aliquo modo diluitur. Tertio vero cum spiri-
tibus acidis, vt spiritu nitri, nec non cum lixiuis, vt oleo tar-
tari per deliquium non miscetur, sed conglobatur. Quarto
denique optime soluitur cerumen & prompte miscetur cum
aqueis, aqua simplici, aqua rosarum, ipsa salua &c. nec non
cum spiritu salis ammoniaci vrinoso, ita tamen, vt turbidus
paulisper liquor & albicans reddatur.

§. 47. Cum ipso zibetho etiam optime subigi & misceri
aurium istud excrementum, sed non ad dolum faciendum,
potest. Maxime igitur substantia huius conuenire videtur
cum melle veteri, quod paulo spissius redditum suam amisit
pelluciditatem, nisi quod plura filamenta minima instar pilo-
rum exilissimorum illi admixta obseruentur.

§. 48. *Causa ceruminis efficiens merito statuitur calor naturalis massæ sanguinæ, totiusque corporis, & quidem efficit hic ipse cerumen tum remotius, tum proximius. Illud præstat, quatenus particulas sanguinis sulphureas, dulces, pinguesque continuata quasi digestionem & mora assat & amburit, ut amarescant & biliosam naturam induant, postea loco conueniente secernendæ.*

§. 49. *Calor natiuus autem proximius ad ceruminis productionem concurrit, quatenus non solum vniuersalis est diffusus, & in toto corpore per poros cutis continuam transpirationem præstat, sed in specie quoque in cavitatem meatus auditorii vtriusque similem distensionem facit, ut hic etiam continuo transpirent vapores & fuligines, quamuis respectiue hic paulo rarior, quam in quibusdam aliis corporis partibus eadem contingat.*

§. 50. *Fit igitur hoc in loco exsudatio vaporosa, eaque continua in cavitatem conclusa: continuatus enim sanguinis & lymphæ motus circularis ad has quoque partes pertingit, nouamque semper affert materiam aptam, quæ ibi possit eliminari. Neque obstat cutis densitas, quæ quidem euaporationem modificat, non tamen penitus exitum fuliginibus hoc loco biliosis denegat, ut per poros eius excrementum istud excernatur.*

§. 51. *Accedit focus continuus particularis ob recessum intimiorem, cuius ope cutis pori magis patentes seruantur, cum alibi haud raro frigore contracti occludantur, ut impeditam transpirationem exhibeant; hic autem frigus magis etiam ceruminis ope arceatur. Estque insuper calor ille dilatans poros partim internus, quem natiuum paulo ante diximus, partim externus a capillis, tegmine capitis &c. reflexus, quo auditus organa fouentur.*

§. 52. *Plurimum omnino ad ceruminis secretionem conferunt glandulæ, pororumque, ut & ipsius cavitatis meatus auditorii mechanica conformatio, per quam sanguis alique humores excluduntur, quo minus exeant naturaliter, transitum*

inuenientibus solis particulis biliosis subtilioribus, in sanguine appulso existentibus.

§. 53. Glandulæ procul dubio ita se hoc loco habebunt, ut in hepate, licet non ita coaceruatæ sint, ut simile viscus, ac est hepatis, hic exhibeant. Similis enim ferme materia, biliosa scilicet, hic fecernitur. Et ubicunque est separatus humor similis alteri, ibi etiam similes pori requiruntur, per quos ille transcolatur. Hoc est, talem configurationem habere debent pori, qualem particulæ transituræ reliquis exclusis postulant.

§. 54. Cavitas meatus auditorii ad collectionem *κυστέλις* ita confert, ut absterfio continua, quæ aliis in locis planioribus fit, hic impediatur, cum ordinarie nihil, quod imbiberet possit vapores transudantes, attingat istum locum, ubi excrementum aurium colligitur. Ergo illud ibidem relinquitur, & coagmentatur, donec instrumentis commodis eximatur.

§. 55. Nulla quidem ibi libera perflatio accidit, ut in aliis locis siue partibus, ut omne quod exhalat, in auras prompte abeat, & penitus dissipetur; nihilominus tamen lymphæ tenuior solum dimittitur, ut partes sulphureæ atque pingues residuæ magis inspissentur, & debitam cerumen consistentiam acquirat. Patet autem, quod hac etiam ratione calor ad cerumen producendum concurrat, quoniam per ipsum partes tenuiores volatiles aqueæ abiguntur, ut in spissam substantiam illud excrementum abeat.

§. 56. Aqueas siue lymphaticas particulas, una cum sulphureis, per poros cutis in meatu auditorio vaporis forma simul exire, negandum non esse arbitramur. Neque enim spissiores istæ ac viscidæ ceruminis particulæ absque vehiculo poros exilissimos transire possent, quin facile in istis concreverent, obstructionem facerent, sibi met ipsisque viam intercluderent. Ergo ut in aliis excretionibus peragendis lymphæ necessario concurrat, huius etiam hoc loco perpetuum vehiculum requiritur & adest. Neque obstat, quod hocce excrementum respectu præ aliis minus existat fluxile. Iam enim significauimus, istud vehiculum maiorem partem, postquam egressi sunt vapo-

vapores in cauitatem meatus auditorii, vltcrius in aerem diffili & absumi.

§. 57. Tardior propterea videtur huius aurium excrementi eliminatio procedere, quia per minimas atomos fit, per transpirationem, vt merito *Ἀποκρίνον* quandam hic accidere queamus asserere, dumque moram ibi trahit, quod extrauasatum siue transfudatum est, atque in cauitate quasi conclusum, non potest non pingue quid & *βερρώδες* post se relinquere.

§. 58. Quoniam autem in machina vitali sola pororum configuratio vix sufficere videtur, ad separationes & immutationes humorum adeo diuersas exhibendas, tum alibi, vbi adsunt glandulae, tum etiam hoc loco in meatu auditorio intra ipsarum poros fermentum quoddam hærere putandum est, cuius ope & præcipitatio separandarum particularum excrementitiarum e massa sanguinea, & ad vsum, cui destinantur, accommodatio perficitur. Adeoque & calor & fermentum cerumen faciunt.

§. 59. Licet aurium excrementum respectiue inutile dici queat, partim respectu humorum aliorum excrementiorum, qui maiorem & euidentiore vsum corpori præstant, partim etiam, quod ipsam sanguineam massam, & partem mandantem concernit, quibus certe cerumen est inutile: non tamen inutile absolute vocari poterit, cum omnino vsum quosdam habeat, qui iam considerandi restant.

§. 60. Quicumque enim humor excrementitius per naturam non penitus a corpore separatur, sed alicubi continuo hærret, & per longius tempus retinetur, ille ob aliquem vsum corpori præstandum retinetur. Quicquid enim prorsus est inutile, illud penitus foras eiciendum & separandum erat a parte, in qua secretio a reliquis facta est. Iam autem excrementa aurium diutius retinentur, nec nisi instrumentis e cauitate meatus auditorii euacuantur, teste experientia. Quid ergo aliud inde sequitur, quam quod ob vsum aliquem positium cerumen e massa sanguinea iis in locis secernatur & colligatur, cum præterea paucitas ipsius arguat, si inutile foret, facilius aliis in partibus potuisse vacuari?

§. 61. Vt igitur non dicamus, cerumen priuatiue vtile esse, quoniam eo rite egrediente sanguis defecatur, & lymphæ ab onere li-

berata depuratur, ut spiritus puriores degant, & sensus ipsi melius sese exerant; habet certe usum positivum, quem ipsi præstat corpori; & quoque ad alia cum eo peragenda adhibetur.

§. 62. Præcipuum ceruminis usum cum *Nicolao Papinio* statuimus esse illibatam sonorum extrinsecus venientium per aurem ad auditorium nervum translationem. Sicut enim artificiosissima huius organi structura reliqua penitus eo collimat, ut radii sonori collecti ad principale auditus instrumentum, ad intus in ossis solidissimi durissimi atque siccissimi, quod petrosus appellatur, exsculptis cavitatibus, cochlea & labyrintho, membranam nerveam expansam perueniant: sic etiam merito in omnium auribus naturaliter reperiendus liquor spissus meatum auditorium oblinens ad eundem scopum conspirabit.

§. 63. Illibata autem ista sonorum translatio minus commode a ceruminis virtute discutiente ac diaphoretica, qua aerem tenuare, flatusque quoscunque sonóricos & turbatiuos in auras dissipare creditur, deriuari potest, uti hanc illius sententiam pluribus refutat Excell. *Marcus Mappus* *Dissert. de Aurium Cerumine*. Quamobrem alia paulo ad istum usum demonstrandum ingredienda erit via, quam potissimum ex vñsibus principali isti subordinatis, ad eumque pertinentibus dabimus.

§. 64. Stabilium est in scholis medicis, quod sanitas in actionum competentium exercendi potentia & integritate consistat, quæ a partium corporis humani non tantum debita conformatione & vñitate, verum etiam in primis legitima temperie dependent. Gaudebunt ergo & auditus organa præter conformationem artificiosissimam, vñitatemque & contiguitatem requisitam, certa quoque temperie, qualis Omnipotenti Creatori congrua visa fuit, ad sonos partim colligendos & transmittendos, partim etiam percipiendos ordinanda.

§. 65. Quod si autem horum vna vel altera pars a legitima temperie dimoueatur, ipsam actionem, cui ea destinabatur, lædi necessum est. Munivit itaque Diuinum Numen partes corporis diuersas diuersimode, ut contra causas externas tam fortuitas, quam necessarias noxam illaturas defendantur, ne ita facile earum constitutio naturalis peruertatur.

§. 66. Ista aurium temperies respectiue magis est frigida & sicca.

ficca. Sicciora enim ad sonum propagandum & augendum sunt aptiora, quia sunt duriora, quæ renituntur propter duritiem suam sonis illabentibus, radiosque sonoros non ita absorbent, sed fortius reperiunt & reflectunt. Quoniam autem hanc ob causam non poterat, vel debebat sanguis copiosior ad has partes ferri, & in poros recipi, ut in mollioribus accidit, frigidum temperamentum nactæ sunt aures.

§. 67. Non negamus, aures etiam participare de calido & humido, quia nutriuntur, & communi vita cum reliquis partibus gaudent, & omnino aliqua sanguinis portio ad eas fertur, uti vel in ipsis ossiculis auditus post membranam tympani sitis vascula sanguinea detexit celeberrimus Amstelodamensis Anatomicus *Fredericus Ruyschius* *Epist. Anatom. VIII.* ubi tum hæc, tum membranæ tympani, nec non membranulæ internam tympani cavitatem succingentis arteriosa vascula depicta exhibet. Neque meatus auditorius e cute & cartilagine constans penitus destituitur sanguine per arterias aduecto, & per venas iterum refluo, a quo calor aliquis natus his etiam partibus conciliatur. Minor tamen hic ipse est propter paucitatem sanguinis, ut respectu aliarum partium plus sanguinis recipientium aures magis frigidæ censi debeant.

§. 68. Quo minor autem calor est, eo facilius extinguitur etiam in auriculis, ut loco temperiei frigidæ frigida oriatur intemperies, a qua plura mala. Hanc ob causam *Ludou. Septalius* *Animaduers. libr. VI. §. 104.* optime monet: etiamsi æstus maximus in auribus fuerit, nunquam frigida applicari debere; Nam, ait, cum sanguinis sint expertes aures, facile ad sibi cognatam intemperiem frigidam flecti possunt.

§. 69. Admittendus autem in meatum auditorium erat aer externus, qui est sonorum vehiculum & subiectum, donec ad tympani membranam appulerint. Iam vero præter alias, quas habet qualitates, frigore inprimis, ut de reliquis iam nihil dicamus, molestus esse solet, imo haud raro noxius. Atqui frigus uti nervis, ita & sensibus aduersum est. Hinc aer frigidus constringit, fibras cutis crispat, & nimis exiccando inæquales reddit, sicut sanguinis & humorum infert, spiritus ipsos figit, & quasi coagulat, imo dolorificam, vel molestam saltim sensationem facit, ubicunque cutis tenerior nondum quasi occalluit.

§. 70. Huiusmodi vero est cutis illa, quæ meatum auditorium intus inuestit, admodum delicata, & cum nervis etiam instructa sit, sensu tactus exquisito gaudens, vti hoc ipsum per experientiam constat, quando cum instrumento aliquo cerumen extrahitur, vt otalgiam ipsam taceamus. Huic itaque non possent non aeris impressiones esse molestæ, & quandoque dolorificæ, nisi contra istius iniurias a natura probemunita foret.

§. 71. Tutatur ergo cerumen ipsum auditus organum, & meatum auditorium læuem reddit, transmittendo sono aptiorem, illiusque elaterem defendit, arcendo aeris externi iniurias, ne molestum sensum ob intemperiem frigidam, vel reficcationem nimiam, sed appulsum molliorem in isto faciat. Aer enim nudæ cuti meatus auditorii occurrens est obiectum improporcionatum, quod euadit dolorificum; quemadmodum autem pluribus intentus minor est ad singula sensus; ita etiam tristis vel molesta sensatio in meatu auditorio distrahit sensum auditus, vt illibata sonorum transmissio ad neruum auditorium expansum, & perceptio fieri nequeat.

§. 72. Quicquid ergo intemperiem, & molestum sensum tactus in organo auditus prohibet, vnaque asperitatem tollit, & læuitatem infert, illud ad illibatam sonorum translationem ad aurem internam facit. Hoc autem cerumen præstat, vt propterea, inter humores excrementitios vtilis optimo iure referri debeat, id quod erat demonstrandum.

§. 73. Vfus igitur ille sordium aurium, quem supra e Cicerone adduximus, ad arcenda insecta, quem plerique vnice referunt, habendus saltem est pro secundo, cum rarius huiusmodi casus occurrat. Ita *Willisius de anima brutor. cap. 14. pag. m. 106.* Cerumina, inquit, amara arteriolis exudantia ibidem copiose deponuntur, nimirum vt animalcula, si quæ forsan in aurem perreptant, iisdem inuiseri possint, aut saltem amarore tanquam vermes a felle denuo abigantur.

§. 74. Si hunc spectemus vsum, comparari posset cerumen cum ciliis palpebrarum, quibus oculi ab extraneis inuolantibus defenduntur. Ast quod vsum primum concernit, optime conuenit aurium excrementum cum humore illo, qui oculos extrinsecus humectat, & læuigat non solum ad motum eorum conseruandum, sed & in primis molestam

Itam ab aere exsiccationem prohibendam. Vnde sicut huius, ita etiam, istius, defectus incommodus & noxius existit, non minus ac abundantia nimia, vel copiosior utriusque secretio, quæ ad statum præternaturalem pertinent.

§. 75. Præter vsum hactenus recensitum physiologicum ceruminis ab autoribus plures alii partim therapeutici, pharmaceutici scilicet & chirurgici, partim mechanici referuntur, quorum præcipuos paucis enarrabimus. Vires ipsi competunt emollientes ob principium sulphur aqueum, quo istud gaudet, & hanc ob causam contra verrucas & clauos pedum commendatur.

§. 76. Demulcens etiam leniens & anodynum esse dicitur, & ob balsamicam virtutem inter traumatica refertur. Celebris hic commemorandus est locus C. Plinii, *Natur. Histor. libr. XXVIII. cap. 4. pag. m. 571.* Morsus hominis, inquit, inter asperrimos quoque numeratur. Medentur sordes ex auribus: ac ne quis miretur etiam scorpionum ictibus serpenti-umque, statim impositæ. Melius e percussis auribus profunt: ita & redu- uias sanari. Et Marcellus Empiricus vltimum istud confirmat, *cap. 18. pag. iii. b.* dicens: Paronychiæ, stercus ex auriculis impone, & linteolum superalliga, mirabere remedium.

§. 77. Plures ad conglutinanda vulnera, fissuras & scissuras cutis, aurium istud excrementum laudant esse maxime proficuum, propterea illud vnguentis & balsamis vulnerariis admiscunt, vel huiusmodi ex eo confici-unt, quorum variæ occurrunt descriptiones. Nonnulli solum cerumen pro illo scopo adhibent, alii cum balsamo sulphuris, vel etiam balsamo Peru- uiano iungunt, vti apud Iob. Frider. Helvetium *Diribitor. Med. c. 16. pag. 108.* exemplum consignatum extat, vbi monet: ad meliorationem & ampliationem quosdam addere ceruminis vnciæ vni balsami de Peru ʒij. vnguenti dialthææ ʒiij. & applicare locis affectis ope minuscularum car- piarum, seu linteamentorum pertenuiter rasorum.

§. 78. Iterum alii cum oleo nucis moschatæ, vel etiam oleo nucum iuglandium expresso in balsamum traumaticum cerumina redigunt. Ita B. Ettmullerus *Instit. Medic. Sect. III. de vulnerariis pag. 421. a.* inquit: Ceru- men aurium humanarum vulnera egregie mundificat, nec aliquid in pus crescere sinit, cum oleo nucum iuglandium adhibitum, vel ʒ. cerum. huius aur. ʒij. sacch. ʒj. ʒj. c. s. q. ʒ. expr. nucum iugland. f. Linimentum. Et *Colleg. Pharmaceut. in Schræderum* recenset vnguentum Agricolaë in chi-
rurgia

rurgia parua descriptum, quod prædicat efficacissimum, quo mirabilia breui tempore in inflammationibus, synouitis & suppurationibus præstitit, cuius hæc est compositio: R^x. cerum. aur. ʒiij. sacch. ʒni ʒij. ʒo expr. auellan. q. s. M. quod si debeat esse consistentiæ crassioris, super ignem inspissari potest. Tom. I. pag. 785. b.

§. 79. Huc denique pertinet, quod *Helmontius* tr. *Alimenta Tartari insontia* dicto: §. 24. pag. m. 239. Aurium excrementum, instar flauī vnguenti neruorum punctiōis magnum solamen esse asserat. Nec ille vsus reticendus nobis erit, quod cerumen ad illinendam acū in suffusione per cataractæ depositionem curanda, antequam in oculum infigitur, adhiberi soleat. Imo virtus ophthalmica ipsi merito adscribenda, vti *Poppius* l. I. *The-saur. med.* pag. 93. ad prurientes oculos eo palpebras inungit, vt ita quasi vnguentum ophthalmicum natium constituat.

§. 80. Quemadmodum vero per hæcenus dicta patet, vsibus externis pluribus frequentius, nec inconuenienter adhiberi cerumina; ita e contrario propter nauseam interius rarius istud propinari vel assumi monemus, licet morbo regio resistere sordes aurium supra laudatus *Plinius* libr. XXX. cap. XI. pag. 753. doceat.

§. 81. Quoniam etiam ipsi adscribitur virtus discutiendi flatus, a *Schrodero*, aliisque commendatur in colica; libr. V. enim *Pharmacop.* cap. 23 pag. m. 811. ille inquit: Aurium sordes (cerumen) colica laborantibus præsentissimum perhibentur remedium, in potu si assumantur. Nouimus etiam foeminam quandam passione hysterica grauitè & frequenter affligi solitam, quæ cerumine assumpto haud raro leuamen quærere consuevit.

§. 82. Ad vires ceruminis cognoscendas pertinere videtur, quod *Cardanus* libr. VIII. de rerum varietate cap. 44. pag. 575. notat, sordes istas ebrietatem efficere. An autem pondus aureæ monetæ accedat, si sordibus illis moneta quædam ignita inungatur, cuius rei experientia fidem aliquando fecisse *Daniel Beckberus* in *Spagyria microcosmi* cap. 4. testatur, in medio relinquimus, donec vltior experientia & ratio illud plenius confirmauerint.

§. 83. Denique nec illud omittendum nobis visum fuit, quamuis itidem vt præcedens, extra forum medicum positum, quod cerumen cuspidi gladii illitum impenetrabilitatem magicam tollere dicatur.

SOLI DEO GLORIA!